34-4-I.8.

VITA
DIVAE EVPHEMIAE
VIRGINIS ET MARTYRIS.

PER REVERENDVM D. PASCHALEM
Verronem Archidiaconum Montis Piloſi.

COMPOSITA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



C. M

Ex Officina Horatij Saluiani.

NEAPOLI, Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem. M. D. XCII.

PASCHALIS VERRONVS A MONTE PILOSO ARCHIDIACONVS,

SVIS DIGNISSIMIS CAPITVLI, & Cleri Presbyteris. S. P. D.

SVPERIORE anno, rerum priuatarum cauſa Romæ cum eſſem: fortè mihi Sanctæ Euphemiæ Virginis, & Martyris, (cuius brachiũ nobis diuina largitate conceſſum; in Cathedrali Eccleſia aſſeruatur;) duo exempla ſunt oblata, quæ de eius inclyto martyrio hiſtoricam rationem continebant: quorum alterum de Vaticana Bibliotheca eſt depromptũ, alterum verò de eo libro, qui apud nos eſt, à Roberto de Amabilibus (vt aiũt) delato, Ampliſsimo ſanè Viro atq; de hac noſtra Eccleſia optimè merito. Iã inde igitur mihi conſilium fuit, velle me ſi quando ad patrios lares me recepiſſem, huius Virginis noſtrarum rerum patronæ, atq; munitiſsimi propugnaculi, vitam verſibus exornare. Domum itaq; renerſus, rem tentare cepi, quam ex animi ſententia diuino beneficio ſum aſſequutus, atq; vobis opuſculum qualecunq; eſt, dicãdum cenſui: tum quia idem vos

ſtudium, quo ipſe valde afficior, huius Virginis magnificandæ laudandæq; tenet: tum quia vos bonarum literarum amantiſsimos, atq; ſtudioſiſsimos eſſe cognoui. Quod etſi libentiſsimè feci tamen ſubuerebar, ne non nimis appoſitè ob mei ingenij tenuitatem rem ipſam attingerem. oblatum itaq; munus accipite: illudq; vos veſtro iudicio examinate; quòd ſi amplitudine veſtra, veſtraq; exiſtimatione dignum iudicaueritis, diuinæ bonitati tanquam optimarum rerum origini, acceptum referatis: ſin minus mihi adſcribendum patiar, qui pennas nido fortaſſe maiores extendere minime debui. Illud tamen vos admonitos velim, hoc vno tantùm lectionem Vaticanam à noſtra diſcrepare, quòd illa Virginem Euphemiā Leonis morſu occubuiſſe docet, noſtra verò gladio interemptam. poſteriorem hanc in ea re ſum ſequutus; vel quòd ſic tradit Sanctus Ambroſius in præfatione, vel etiam quod ita eſt videre ex ipſius vetuſtioribus imaginibus, quæ in ea ipſa Eccleſia adhuc extare videntur. Valete igitur, atq; exiſtimate, me ſi minus dignum, at certè cupidum quem vos Deo Optimo Maximo precibus veſtris commendetis, vt mihi quod in variarum mortalis vitæ rerum amfractu eſt erratum, ignoſcat. Iterum valete. Datum in Montepiloſo. Pridie cal. Auguſti. M. D. LXXXXII.

PASCHA-

PASCHALIS VERRONI A MONTE PILOSO ARCHIDIACONI,

Ad ſuos digniſsimos Capituli, & Cleri Præsbyteros, de Sanctæ Euphemiæ Virginis, & Martyris Vita.

CARMEN.

SVNT qui priſca legunt immitis prælia Martis,
Mirificis deſcripta modis, vt fortia Pœni
Agmina Romulidum perimāt, quà deſluit acer
Aufidus: vt lybicas euertat funditus arces
Romanus Princeps: infracto vt pectore Cocles
Hetruſcas acies ſiſtat fortiſsimus vnus:
Pars ſtupet, in Graios quòd ſumptis fœmina telis
Pentheſilea ruat: pro Turno Rege Camilla
Bellatrix conſcendat equum: quòd tuta per amnem

Clœlia deceptis repetat cuſtodibus Vrbem.
Tuq́; addicta ſacris, Regiq́; dicata ſuperno
Relligioſa cohors, Piloſi Montis Alumni,
Vtile, quodq́; decet, tibi me ſuadente, libellos
Proijce vaniloquos: rebusq́; aduerſa prophanis,
Auctores ſcrutare libens, qui corda legentis
Ad meliora ferant: quæ ſint certamina Regum
In Chriſti Atlhetas; quæ contra his parta trophæa
Emeritæ pugnæ: Solymos vt cædis anhelos
Debellet Stephani conſtans patientia: ſæuum
Proſternat Decium medio diſtentus in igne
A lauro qui nomen habet Vincentius acres
Saucius euincat Datiani Præſidis iras:
Siue audire cupis (quod fert humana cupido)
Fœmineas vires, multò nec longius ibis:
Nobilis Aſpaſio dum telis caditur Agnes,
Num cedit? grandem Almachi num diua furorem
Cæcilia expauit? num formidauit acutos
Maxenti gladios? vel vim Catherina rotarum?
At ſi collatis ſpectes certamina ſignis,
Quæ terris ſuperauit ouans Euphemia Virgo,
Et decus, & turris noſtri fortiſsima Montis,
Cuius facta loco tibi mitto muneris; ora
Preſſeris admirans. vt Virgo vincat inermis

Hoſtiles acies, fœdo ſine marte Tyrannum
Enſe petita pugil ſuperet, reuehatq; triumphum
Poſtibus æthereis. Præſens tu dirige cœptum
Virgo, meas noſti, quæ cæli ſidera calcas,
Exiguas animi vires, humilesq; Camœnas:
Aequatumq; tuis meritis languetq; tremitq;
Ingenium, fandiq; modus formidine torpet.
Ingens eſt Aſiæ, (ſed quam dixere minorem)
Chalcedon, adiecta mari, quò pertinet ille
Boſphorus, oppoſito ſpectant è litore moles
Bizantinorum, muris turrita ſuperbis,
Diuitijsq; potens. his orta Euphemia terris,
Illuxit mundo, cum iam ſæuiret in omnes
Chriſticolas animus Romani ſceptra tenentis
Imperij, nomen prohibet quod dicere verſus,
Signa tamen monſtrant: ceruicem hic abſtulit enſe
Pontifici Caio: fidus collega gerendis
Maximianus erat rebus, curasq; leuabat.
Inſuper hic ingens claudebant mœnia templum,
Quod Priſci poſuere Deo, qui præſidet armis:
Hoc etenim, ſtulti, fines auctore putarunt
Poſſe regi, caſu nullo, nec tempore labi
Imperium: rerum cuſtos templiq; ſacerdos
Diui Martis erat, cui nomen Apellius: atq;
Faſci-

Faſcibus hic ſumptis, Proconſul Priſcus agebat
Omnia: ſed iuſto quanam ratione ſubactos
Duceret imperio, qui ſic vertebat honores
Diuini iuris, ſupplex vt numen adoret
Dæmonis, occulti in lutea Mauortis iniqui
Effigie? hoc tanto corruptus corda veneno
Priſcus erat: doleo peſtis quòd plurima ſerpit
Per vicos Aſiæ cunctos, per caſtra, per vrbes.
Affuit ecce dies anniuerſaria, Marti
Cùm ſacra debentur: cædis quæ Virginis almæ
Cauſa fuit: Præſes gradiui ad numina Patris
Rite colenda vocat, quos Vrbis mænia claudunt,
Vel quoq; finitimos: olli mandata capeſſunt,
Præſidis vt fugiant edictas ſanguine pœnas:
Vndiq; conueniunt iuuenes, puériq;, ſenesq;,
Ingreſsi ſimulacra colunt, & numen adorant:
Suppliciter: cædunt alij de more bidentes;
Vota alij figunt ſacræ laquearibus ædis:
Floribus hi cumulant aras: hi thura miniſtrant:
Voce vocant Patrem, tollentes lumina cœlo,
Annuat vt precibus. dum talia dona feruntur,
Conclamant homines, plauſu, ſonituq; tubarum
Vndiq; conquatitur tellus, templiq; reſultant
Limina; tum ſalij redemiti tempora molli

Gramine,

Gramine, concinnant verſus, & mira per aras
Facta canunt Marti, quòd curru terreat vrbes
Cum libet, arato: belli quòd tela miniſtret:
Mille dicata Deo ſacratis poſtibus arma,
Hoſtilis monumenta manus, & mille Sabeo
Thure calere focos: hoc tanto numen honore
Saltantes referunt, & Martia munera iactant.
At non iſta facit celebrato Euphemia Marti
Fœda miniſteria, effigies & ſacra Deorum
Exoſa a teneris, cupiensq; à munere turpi
Inſontes ſeruare manus, ſe tuta latebris
Abdidit, & celebri à populo ſe limine ſepſit.
Non vlli huic pariter fugientes numina Martis,
Se ſocios adhibent: eadem his ſententia ſurgit;
Idem animus, Regi ſolum, qui condidit orbem
Acceptam ſeruare fidem, cultumq; fidelem,
Verbera vel ſubeant, vel mortem vindice ferro.
Hic degunt itaq;, & tacito ſermone fruuntur
Auerſi à ſacris, diriq; à Præſidis ira.
Non ſecus ac pauidæ cum conuenere Columbæ
Sedibus in notis, cœlo quas turbat aperto
Accipiter: ſe ſe nunc ales ad æthera condit;
Nunc ruit in prædam paribus de vertice pennis:
Aſt illas ramis poſitas denſiſsima cœlat

Quercus, & à volucris curuatis vnguibus arcet.
Oblatis igitur ſacris ſolennibus aræ,
Numinis; oceani properans ſe condit in vndis
Solis equus, totamq; tegit caligine nigra
Telluris faciem, cum corpora feſſa labore
Lectus habet: tetris in peſſima funera cœptis
Virginis aſpirans, ſtygijs qui præſidet vmbris;
Iam poſita nota ſpecie, malus ora nitentis
Induitur Martis: ſomno, vinoq; ſopito
Affuit ecce Deus Priſco, ſed lumine triſtis;
Atq; ait. armipotens belli cui ſigna, Duceſq;
Armati parent, aris & ſacra litantur,
Mars ego. ſupplicibus petitis mea numina votis,
Munera nec ſperno: imprimis redeuntibus annis
Quæ datis, vt nuper: fuſas populiq; tuaſq;
Accepi voces: illud tamen intima torquet
Corda; ſed heu neſcis? eſt quæ mea ſacra repellit
Fœmina, confiſa (vt peribent) hominiq; Deoq;:
Grex hominum ſequitur: quòd ſi fortuna ſecundis
Reſpondet cœptis, equidem mea templa vetuſto
Ritu exculta cadent, pietaſq; veterrima gentis
Labetur: cùm clara dies ſpectacula reddet,
Priſce, tibi ſi cara mei reuerentia ſacri,
Hanc poſce ex humili tecto, quod mœnia tangit,

Non

Non longè à Phano, gentes vbi facta reponunt
Vota; ſeuerus eam pro tanto crimine, vindex
Trade neci; meritasq́ mihi det ſanguine pœnas.
Excitus his verbis aperit mox lumina Priſcus,
Turbatumq́ ſuum præſenſit pectus, & atris
Obductum curis, quod nuper gaudia cælo
Extulerat: Nautæ ſimilis, qui ſole cadente
Compoſuit pelago naues, ponentibus auſtris:
Ille petit ſomnos, & curis pectora ſoluit,
Nocte tamen ſurgens nimbis compulſus Orion,
Turbine disiungit puppes, ac omnia miſcet:
Excutitur ſomno, disiectaq́ littore toto
Corpora conſpiciens, imo dat pectore queſtus,
Et ſibi nequicquam toto vocat æquore claßem.
In ſomnem reliquam duxerunt lumina noctem
Præſidis, excußi Mauortis numine tanto;
Multa ſuper dictis repetentis, vt aurea bigis
Expulit obſcuras aurora ex orbe tenebras,
Ille manum mittit lictorum exquirere tectis
Nocte recenſitis, vinctosq́ ad limina duci
Mandat, & hos viſis ſignis per ſingula monſtrat.
Pennigeris auibus, rapidisq́ ſimillima ventis
Agmina miſſa volant: ſubeunt iam culmina tecti
Pauperis, hic catum mittentem vota ſuperno

Cœlicolum Regi, vultu verbisq; precantem
Corripiunt, trepidisq; ferunt ad Præſidis ædes
Paſſibus: ille licet magna ſit percitus ira,
Se mirum cohibere parat, tum triſtia vafer
Diſſimulans ora, hos omnes in tecta vocari
Præcipit, ingreſſos dictis affatur amicis.
Dicite vos etiam cur non acceſtis ad aras
Martis? & hunc ſoli fugitis, quem munere pingui
Excolit extrema populus regione profectus?
Quæ uè boni tanti veſtra eſt iactura? quis auctor?
Eia age; neglectos vnà inſtauretis honores,
Conuerſiq; citas placetis numinis iras:
Vt mea vos facies omnes, mitisq; poteſtas
Cæſaris excipiat, ſuperum quoq; cætus ab aſtris
Adiuuet, & fœlix peragatis iugiter æuum.
Dixerat, hunc omnes tali ſunt voce ſequuti:
Priſce, Deum terris, quibus amplas ponitis aras,
Conſilio cultus fugimus, nam viuida corda
Criminis inficiunt tabo, falluntq; veneno.
Nos illum colimus, verbo qui cuncta creauit,
In quem nec clypeus, veſtri nec fortia Martis
Arma valent: quòd ſi templi numeroſa frequentant
Agmina, propterea non eſt, cur Martia iactes
Sacra: dolus capit hæc, verũq; (fatemur) aberrant

Relli-

Relligionis iter, fruſtra ne contere tempus,
Ludere nos blandis verbis, tua munera ſcito
Spernimus, atq; tuos ſummo cum Cæſare Diuos.
Talibus obſtupuit dictis, animosq; viriles
Admirans, iram frenat nec corpora diris
Illico tormentis ſubdit, florentia miro
Fulgore, inq; domos paucas dimiſit in horas:
Hæc addens: ni vana fides, vos credo futuros
Parentes iuſsis, cum iam repetetis in imo
Altius hæc animo: aſt illi ſermone viciſsim
Hortantur, meliusq; mori ſententia dictat,
Quàm lapidi, quæ danda foret pia munera Chriſto,
Concedant; violentq; fidem ſeruare profeſsi.
Haud mora fit: reuocat, rurſum pia pectora tẽtat
Blanditijs, additq; minas, ſtudet impius omni
Ingenio, vt Martis cumulent altaria donis:
Aſt vbi pollicitis nil proficit ille, nec vllis
Propoſitis pœnis, excepta Virgine, flagris
Contundi iubet; & vinciri compede crura.
Cum concepta minus ſeruit ſententia votis,
Mox parat infeſtus maiora inferre reuinctis
Supplicia, atq; amens animũ circum omnia vertit:
Hos tandem capitis damnat, ferroq; ſeuerus
Imperat occidi, populo ſpectante: ſed illi

Mente

Mente ferunt tacita, poſitisq́; ad limina cæli
Luminibus, vires aptas, cæleſteq́; robur
Implorant: aderatq́; necis ſimul hora nefanda,
Virginis incolumis dignis ſe protinus illi
Commendant precibus, fixisq́; amplexibus hærent:
Attamen illa ſuis mærentia pectora dictis
Erigit: ite, refert, ſummo gratiſsima cælo
Lumina, defunctos terrena hac luce laboris
Perpeſſi vos parta quies (vos) teſtor, olympi
Aſtra vocant: pugnate Viri certamen ouantes
Inceptum: diri ſuperabitis impia Priſci
Tela quis à veſtro reuocat me funere caſus?
Quæ ſors? excidio da nunc mea membra ſatelles,
Me rape, pectoribus cæſis mea pectora iunge.
Illicet immiti conſtricti membra rudente
Infandum prodire locum, tum Virginis ora
Linquere coguntur celeres, vrgente Miniſtro:
Ceu ſimul ad Diuum trahitur mitiſsimus aras
Grex ouium, nota inuitus regione recedit:
Semotusq́; locis, vertit memor ora relicti
Paſtoris, valles, & vocibus æthera complet:
Protinus exectis tendunt ceruicibus aſtra
Fœlices animæ, promiſſaq́; præmia captant
Confecti belli: poſitiq́; in limine tuto

Con-

Congaudent: lætumq; melos cum carmine miſcent.
Egreſſus Priſcus de bello, & cæde recenti,
Inſtaurare parat validis noua prælia telis:
Quæuè ferus nixu tanto vibrauit in omnes
Arma viros, (ſpectate precor) conuertit in vnum
Pectus Virgineum: ille dolo ferroq; paratus
Imperat efferri: mox Virgo ſiſtitur ante
Præſidis ora trucis, nullo perculſa timore,
Aſt eadem frontis ſpecies manet, & color idem:
Hic etiam texit ſub tegmine pectoris iram
Proconſul primo, placideq; hæc verba loquutus.
Improba ruſticitas hominum ſatis omnia noſti,
Juſſa recuſantum quas pœnas corpore ſoluit;
Vnde malis languent: cœli per ſidera iuro,
Duritiam miror tantam, miſeretq; pigetq;:
Quis durum vulgi, vel cunctas calleat artes,
Influat in pectus? tu vero Euphemia terris
Quam fortuna ſuis donis melioribus auxit,
Præcipuumq; (Deus nobis ſic munera partit)
Jngenium natura dedit, ne temne quod ipſe
Commoneo, ac animo Marti fer liba volenti,
Vt viuas fœlix, doniſq; onerata recedas.
Nec tã Priſce, rudes, ſtolidoſuè hos dixeris, inquit,
Quos bonus informat cœlo demiſſus ab alto

Spiri-

Spiritus: ille ſatis nouit, qui numina Diuum
Reijcit, atq; Deum ſumma pietate colendum
Affirmat: fac eſſe, ferus, quæ ruſtica mactas
Pectora, nunc gaudent cœlo: cur mitis in vnam?
Nec mea cum reliquis fudiſti viſcera ferro?
Gaudia vobiſcum caperem, ſimul ipſa potirer
Fœlices animæ, donis: ſors vna tuliſſet,
Vna omnes: quæ verba meis das auribus inde,
Ipſa nec agnoſco, Præſes, nec poſtulo: tantùm
Glorior in terris Chriſto famularier vni,
Cui ſeruire parit famulis per ſæcula regnum.
Nec Martis ſuadere velis mihi liba diſerto
Eloquio, à teneris quæ iugiter vnguibus odi:
Immolo ſed Chriſto, Chriſti veſtigia ſectar,
Spiritus hoc tenuis donec ſub ſidera cœli
Corpus alet: poterit nemo (fac oro periclum)
Vertere conſilium: ſedet hæc ſententia menti.
His verbis lymphatus abit, totaſq; pererrat
Captus mente domos, furijs ceu pulſus Oreſtes
Traditur illata veneranda cæde parenti:
Hanc iterum claudit tenebris, iterumq; catenis
Alligat, omnigenis prauus ſua pectora verſat
Pœnarum telis, mitem quibus ille fatiget.
Artis Dedaliæ ſtudio, tormenta rotarum

Ex-

Expedienda iubet famulis; ponendaq́ membra
Virginis, vt pœnis animum ſubuertere tentet,
Quem nequit oblatis donis: hinc ferrea moles
Inſtruitur, gladijsq́ minax horreſcit acutis,
Conſpicuo in campo: dum brachia dira nefando
Incumbunt operi; ſuperum de ſede Michael
Cœlica dona tulit, magnos quibus illa labores
Docta queat ſuperare, humiles ingreſſus in ædes,
Incipit effari, & curas his demere dictis.
Nil dubita veneranda meos Euphemia vultus,
Neu ſpecie terrere, Pater cœleſtis ab alto
Me miſit ſolio, vt magnam vim viribus addam,
Certamenq́ tuum præſenti numine firmem:
Effera gens duras pœnas molitur, & omni
Tela parat ſtudio, quò te pia Virgo ſalutis
Limine deijciat: tu contra audentius armis
Obſiſte, vt ſuperes victrix faſtigia cœli
Sidereis iungenda choris, captura coronas;
Promere nunc vellem, ne ſis ignara futuri,
Qui curſus, qui finis erit, quæ præmia pugnæ:
Sed Pater omnipotens prohibet me plura profari:
Quod ſuperum de ſede fero modò Diua volumen
Accipe; curre oculis, complectens vltima primis:
Sic ait, & gremium tandem coniecit in almum:

Hæc primo trepidat: grates hinc rite volentem
Promere deſeruit; ſubito volat arduus ille
Aetheris ad ſedes notas, ſociosq; remiſit.
Non Iouis abſimilis volucri, quæ vallibus imis
Depoſitis, vacuum findit, volitatq; per auras:
Excita præpetibus pennis ſe nubibus infert,
Et fruitur ſummi cœli regione ſalubri:
Virgo animum ſoluit curis, cœleſteq; donum
Mox aperit, cernitq; ſuas, (mirabile viſu)
Angelicis ſcriptas digitis ex ordine pugnas.
Magnaq; victricis pariter ſua præmia palmæ:
Se videt imprimis, populo ſpectante, retortis
Nexibus obſtringi, volucresq; ſubire rotarum
Orbiculos, verſa facie, nunc ima petentem,
Nunc ſuperas auras, pœnis crudelibus angi:
Funibus hic etiam fractis, vinclisq; ſolutis
Incolumes artus cernit, ruptosq; rigenti
Ex ferro radios, famulos at mole ſupinos
Collapſa vrgeri: gaudet certamina prima
Vincere, & illæſum tutari pectus ab hoſte.
Haud procul hinc triſtẽ ſpeciem pictura recludit,
Scilicet iniectam flammis, referentibus ignes
Aetnæos, vnco hic ferro ſudibusq; voluntant
Oppoſitis corpus, nec tanto abſumitur æſtu:

Quin

Quin veluti ſtipulas, ſiccæ vel meſſis ariſtas
Corripit, & geminos fornax vorat igne Miniſtros.
Quod ſequitur teneræ ſpirat pietatis amorem,
Vrſa vnum laniat Iuuenum, lea dentibus vnum;
Dum volunt ſcelerare manus in funere tantæ
Virginis: Hinc magnum ſpectat telluris hiatum,
Contectum folijs, praui molimina Priſci:
Intus acuta ſilex, & crebris conſita clauis:
Hac iuſſam tranſire, videt ſe deſuper aura
Diuina extolli, ſpargiq; per aera fraudes,
Artis at inuentæ pronos huc ire magiſtros.
Cernere erat puteo (quid non molitur iniqua
Mens hominum) ſummo fluctu, monſtriſq; repleto
Præcipitem mitti; at cunctis mirantibus alta
Ex vnda reducem ſuperas veniſſe ſub auras:
Hinc ſubit ingentes lapides, fera pondera: ſæui
Parte alia cadunt humiles crudeliter artus
Lictores: toto crudeſcit corpore vibex.
Aſpera tum viſu iam ſe ſpectacula præbent:
Hinc ſæuit caſura manus, crebriſq; flagellis
Brachia dant animos: hinc flāma extrema minatur
Supplicia: hinc acuit ferratos impia dentes
Serra ſuos: pauidæ quantum vos creditis illi
Incuſſit pictura metum? tamen inclyta vultum,

Explicat, & gaudet ſuperato hic hoſte ſuperſtes.
Vrſis obiectam rapidiſq; leonibus inde
Se videt: aſt illi poſita feritate pudicis
Blandiri membris, & totum lambere corpus:
Mirantes oculos hominum, mirantia pandit
Præſidis ora locus, commotum pectus, & iras:
Deniq; tot diros caſus, tot funera paſſam
Se gladio perimi, gelidæq; hic vulnere terræ
Collapſam cernit, roſeamq; effundere vitam;
Ipſa pauet viſu; (nouit ſua munera ſenſus)
Attamen ad bellum ſe Virgo hortatur, iterq;
Mortis adire cupit, finemq; imponere pugnæ:
Hic ſpecies aperit confoſſum vulnere Priſcum,
Vulnere nempe ſuo, fundi minuiq; leonum
Ore ſacerdotem: mortis miſeretq; doletq;,
Spectat in extremis animam, (nam iuſta labores
Præmia ſectantur) portari ad ſidera palmis
Angelicis, (cunctis viſu mirabile) iungi
Lumina luminibus: tandem ſubit aſtra polorum,
Virgineiſq; choris cœli numeratur: & altæ
Ceruici aptantur nitidis fulgentia gemmis
Serta: humeros niueos vario diſtincta colore
Palla tegit: colloq; ſuo datur aurea torques:
Deniq; ſe tali conſpexit luce nitentem,

Ut vox non hominum proferre nec ænea fari
Lingua queat: tum lecta ſuis pictura receſsit
Ex oculis: tanquam clarum ſi lumine cœlum
Porrecto aſpicias vultu, ſeu lucida ſpectas
Sidera, ſeu radio metiris doctus in aſtris
Atra ſubit nubes, auſtrali concita vento,
Atq́ tibi obiectam ſpeciem de lumine tollit.
Virgo igitur nudo poſitis in limine membris,
Oblatos meditata locos, ſic deniq́ fatur.
Rex hoīum, Diuūq́ Deus, Dominator, et Auctor,
Cui terrena ſimul nutu, & cœleſtia parent;
Sanguine vis fuſo moriar? nil protinus obſto:
Nam dator æterni regni, quæ dona tuliſti
Corporis, ac animæ, tua ſunt; mihi ſola voluntas:
Vtq́ animi grati, grato tibi facta rependam,
Velle meum ſit velle tuum: da pectus in hoſtem
Intrepidum, mecumq́ precor tua numina firma.
Dictis finis erat, celeres cum nuntius affert
Carceris ad poſtes greſſus, vinctamq́ reducit
Præſidis ad ſedes, prauiq́ ante ora Tyranni:
Illico de ſacris quæ ſit ſententia, poſcit
Martis, & inſtructam ferro docet indice molem:
Illa velut ſcopulus, pelagiq́ in littore cautes
Caucaſeis exciſa iugis, quæ deſpicit auſtros

Iactan-

Jactantes, inquit: Martis vos exta cremetis,
Ignari quas digna dapes, quæ pocula poſcat
Menſa Dei, poſitis aris qui dentur honores:
Aſt ego, quæ veri cultus libamina noui,
Sãguine quid maculẽ dextrã? quid crimine mentẽ?
Verbis ille modum ponit, pœniſq; paratis
Torqueri mandat dirè, fera machina tandem
Compoſitis inſtructa modis: heu ſuſcipit almos
Virgineos artus: operi fœdo ore miniſtri
Incumbunt: animo munita Euphemia forti
Voluitur: aligeras ſentit per membra frequenti
Dente rotas, roſeiſq; humeris conſperſa cruore,
Durat, & illa licet monitæ ſit certa ſalutis,
Attamen extollens conuexo lumina cœlo,
Hæc Regi Dominoq; ſuo ſic ore loquuta eſt.
Chriſte decus cœli; cui ſumma potentia cedit,
Quiq; tuis vltro aſtrigera ſuccurris ab arce,
Supplicibus me nunc manibus pedibuſq; reuinctam
Infeſto cernis nodo, circumq; reuolui:
Affer opem membris, & vincula rumpe rotantis
Molis, vt agnoſcant populi tua numina, teq;
Sectentur terris expulſo Marte fideles.
Audijt omnipotens effuſas Chriſtus ab alta
Sede preces; dicto citius dirumpitur ingens

Axis,

Axis, & expediunt conſtrictas vincula palmas
Virginis, auxilio ſuperum; diuinaq; virtus
Sanat ab illato laceratum vulnere corpus:
Obſtupuit populus, ſpecie cecidere Miniſtri
Exangues, vultu incedit facieq; ſerena
Illa, velut nullum ſenſiſſet vulneris ictum.
Hoc vnum, mecum reputo, lenire Tyranni
Debuit effrenam rabiem, malè ſanus ad ortum
Proſequitur cœptum, toto noua pectore tentat
Supplicia; igniuomis mediam fornacibus illam
Præcipitem ferri mandat, ni prona repente
Effigiem ſacram metuendi Martis adoret.
Terribiles non ira oculos, non verba minantis,
Virgo timens, animum faculis accenſa ſupernis,
Obijcit hæc Priſco. flamma ſi lingua voracis
Eſt membris admota meis, diſſoluere corpus
Nempe poteſt, animus ſuperas ſine labe volabit
Incolumis ſedes, vbi Chriſtus ſerta coruſcis
Vincenti texit gemmis, & lumine veſtit:
Aſt illum, (horreſco memorans) ſenſibilis ignis
Formido ardorem, qui peſſima crimina plectit
Humani generis, nigris phlegetontis in vndis;
Vrit, & extingui nequit, vſtos nec ſinit vnquam
Alternas ſperare vices: hos triſtior ibis

Priſce

Priſce locos, iugiq́ꝫ malus torreberis æſtu.
Incenſo his peius flammis excanduit ore
Priſcus, & accelerans quod iuſſerat, arida mandat
Nutrimenta dari, rapidis conciſa voratur
Sylua focis; flammæ linguis vaga ſidera lambunt:
Iamq́ꝫ erat horriſonis Virgo iactanda caminis,
Quæ nil commeruit, vacuum cum tempus ab illo
Poſcit, & ardentes ignes oblita precatur.
Tu Deus omnipotens, rerum cui maxima cura,
Quiq́ꝫ tuam concedis opem ſperantibus, ecce
Incenſo quòd ſim iam iam carbone cremanda
Te ſolum confeſſa Deum, modò proſpicis alto
Aſtrorum ſolio, validas rogo ſuffice vires
Fœmineis auſis: rigidum ſuperare Tyrannum
Da mihi: ſacrilego ternos Babilonis ab igne
Seruaſti pueros, eodem me numine ſerua.
Annuit oblatis precibus Deus, agmen ab aſtris
Spirituum mittit, delapſi hi membra tuentur
Virginis, & tutam tali formidine reddunt:
Quin ſua confeſsi præſentibus ora Miniſtris,
Vulnera protendunt, ſtrictaq́ꝫ his cuſpite mortem,
Ni fugiant, poſitaq́ꝫ locis cito Virgine cedant:
Vrgent iuſſa tamen Proconſulis, & furit ira
Inſolita, quæriturq́ꝫ moras, hinc voce procaci

Incre-

Jncrepat, inſtructos cur non iactetur in ignes.
Degeneres fiunt animi, nec protinus vllus
Inuentus qui iuſſa Ducis, nutumq; capeſſat:
Quis vel mente ferox, firmo vel pectore fidens,
Audeat illius iaculari corpus in ignes,
Quam delapſa polo defendunt tela potenti
Vi ſuperum, validisq; fides virtutibus armat?
Cum ſocio Victor ſpecie perculſus, vterq;
Paſsibus hæc trepidis Priſco ſibi viſa reportant.
Sunt hic, Priſce, Viri, conſpecti in luce ſerena
Ancipites gladij dextris, ſtat pelta ſiniſtris:
Aduerſum quatiunt enſem, clypeoq; tuentur
Virgineos artus, & funera dira minantur:
Fugimus exanimes: nec nobis munera poſthac
Jmpia demandes: eſt qui præcordia tangit
Spiritus; hic nobis detexit lumina velo:
Sat dedimus Diuis: ſat te ſumus ante ſequuti
Obducti tenebris: fœdos nunc Martis honores
Spernimus; & Chriſtum nec ſera voce fatemur.
Vritur his Priſcus dictis, hominesq; Deosq;
Jncuſat: plagamq; volens medicare recentem,
Ocyus his Varum Juuenem cum Cæſare rebus
Sufficit: hi celeres Victoris brachia nectunt
Cum ſocio nodis, & tetro carcere claudunt:

Incumbunt operi flamma crepitante recentes
Auxilio cedente Dei, iactatur in vlnas
Ardentis prunæ: medios illeſa per ignes
Ambulat, & tanquã ſtratos premit inclyta flores:
Sublatis oculis, rectisq́ ad ſidera palmis,
Reddebat Chriſto meritas Euphemia grates:
Ignis at excuſſus nigro de turbine ventis,
Dum fugit expoſitæ pulcherrima Virginis ora,
Cæſaris & Vari citò corpora corripit, atq́
In cineres vertit miſeros, atramq́ fauillam.
Egreditur ruptis Euphemia Virgo caminis
Veſtibus intactis, mirum ſaluisq́ capillis,
Mollibus vt thalami fouiſſet membra tapetis:
Ferreus at Priſcus ſpernens miracula, mandat
Conſtrictam vinclis tuto cuſtode teneri,
Dum genus explorat mortis, dum congerit arma.
Soſthenis interea vincti ſimul arcta reſoluit
Vincula Victoris; votis, precibusq́ vocare
Gradiuum Patrem confeſtim præcipit, acrem
Vel mortem ſubeant: imbuti Virginis illi
Præceptis, vno reſpondent ore, nefandum
Eſt Martis numen: Chriſti ſed vera fatemur
Sacra Dei, hunc ſequimur laqueos, diramq́ parati
Ferre necem, firmatq́ ſuis Euphemia factis.

Ex templo caueis Vrſos diroſq́; Leones
Eduxit, quos atra fames vexarat, vt artus
Diriperent Iuuenum, ſpeciem ſpectate triumphi:
Ecce tibi in ſtadium veniunt fera corpora, nudos
E regione locant Iuuenes: certamina ſpectant
Impia conuentus hominum; facto agmine, currunt;
Vngue petunt poſitos, maliſq́; audacibus: illi
Corde ferunt tacito, ſperantes præmia vitæ
Cœleſtis, quam nulla poteſt corrumpere morſu
Belua, nec immitis feruentior ira Tyranni.
Procumbunt fortes conſperſi ſanguine vultu,
Exhalantq́; animas: terris volat aſtra ſecunda
Victima grata Deo, gaudetq́; Euphemia valde
Cum rurſus mittat magno ſuper aſtra Colono
Sanguine terra ferax lætam cum fœnore meſſem;
Virginis inde caput Priſcus petit ore cruento
Cæde hominum, renouatq́; dolos, ſi vincere poſſet
Quæ precibus potuit nullis, nec verbere labi.
Non ſecus ac pauidã mira cum circuit Agnam
Arte lupus, quem dira famis conturbat Erymnis.
Ardua ſepta petit ſub tegmine noctis opacæ,
Itq́;, reditq́;, locos ſpeculatur lumine lynceus,
Vt rapidus tandem tacitum ſe immittat ouile,
Prædatuſq́; greges, ad cognita luſtra remigret:

Attamen hunc Paſtor canibus vigil arcet & omni
Proſequitur vocis nixu, fugit impius altos
Per colles, tandem ieiunus conditur antro.
Virginis arcta iubet diſsolui vincula, nigro
Carcere detrudi, celeris venit illa camœnas
Dauidicas recinens, geſtansq́ in corpore formam
Angelicam, vt vidit verbis compellat amicis
Priſcus: adhuc ijdem durant Euphemia ſenſus?
Nec ratio ſuadere valet quò Martis honores
Imponas aris, noſtrum ne deſpice Virgo
Conſilium, ſi recta ſapis, ſi numinis iram
Commotam ſedare cupis, paulo ante negatas
Funde preces, niteantq́ tuis altaria donis.
Durat adhuc pectus, vox eſt hæc reddita Priſco
Virginis intrepidæ, fraudes, & blanda faceſſant
Verba: nec eſt teſtor toto ſapientius orbe,
Quàm nolle adduci, votis vt muta vocentur
Saxa tuis, quæ iure Deus ſibi poſtulat à te;
Vtq́ rotas, ignemq́ prius ſic cætera poſthac
Seuitiæ tormenta iube, ſententia nunquam
Excidet, inq́ dies maius capit incrementum.
Vt primùm poſuit finem his Euphemia dictis,
Effoſſam gladijs tellurem ſternit acutis,
Sed tegit hos herbis, vt cum mouet inſcia greſſus,

In poſitos laqueos miſerè delapſa periret:
Sed fugit illa dolos, manibus ſublata per auras
Angelicis, tamen hanc fato cecidere Miniſtri
In caueam, fractisq; ſuis per tela lacertis
Efflarunt animas: ſed cædi immanior hærens,
Subijcit hinc reducem dirè miſereq; terrendam
Ponderibus lapidum: tenuis fit ſaxea moles
Puluis, ad æternum genibus mox Virgine Patrem
Supplicibus mittente preces, genus omne ſuperſtes
Pœnarum vincit, virtuti cede ſupernæ
Imbelles da Priſce manus: Euphemia victrix
Dempta tibi æthereis ſuſpendet poſtibus arma,
Exuuiasq; potens: rumpit dolor impia Priſci
Pectora poſſe minus tantùm ſuperare querentis
Fœmineas vires, aliud ſubit inde furenti
Conſilium, foueam longè lateq; cauatam
Fluctibus impleri mandat, piſcesq; voraces
Immitti, vt puteum deiectum corpus in altum
Sæuo dente premant, membrisq; ſit vnda ſepulchrũ.
Quod ſimul ac Virgo prudens Euphemia vidit,
Arguit his Priſcum: quæ te mens effera ſuadet
Vt pœnis animas tentes, & pectora fallas?
Sanguine pelle ſitim, ſimul exple carnibus offam:
Non gladius, non dira fames, non tela, nec ignes

A Do-

A Domino poterunt vnquam diuellere Chriſto:
Aſtra poli nos clara manent, tu nigra videbis
Tartara, & æternas illic dabis improbe pœnas.
Hæc vbi dicta dedit direxit lumina cœlo
Suppliciter, Dominoq; ſuo ſic ore loquuta eſt.
Quòd ſubuecta rotis quòd ſim raptata per ignes
Incolumis, ferriq; acies obtuſa repente
Ceſſerit, & lapides ſint parua in fruſta ſoluti:
Non mea me virtus, ſed me tua dextera fortis
Eripuit, tantisq; malis me Chriſte tuendo
Excipis, incolumem nunc plena voracibus, ecce
Monſtris vnda manet, fautor mihi deprecor adſis,
Qui Ionam grandi ſeruaſti piſcis in aluo
Vt te conciliet Niniuitis iure furentem.
Nil factus melior ſequitur ſua cœpta Tyrannus,
Inq; feras mittit ſubiecta per æquora nantes,
Occurrunt omnes pariter dorſumq; miniſtrant;
Ne maris obruerent fluctus, mortemq; ſubiret:
Hanc (dictu mirum) ſublimi ex arce cadentem,
Quam fore crediderant dentatis piſcibus eſcam,
Excipiunt, ſaluamq; ſuis de gurgite reddunt:
Miratur valde Præſes quo numine fiat,
Vt Virgo euadat diſcrimina plurima ſoſpes,
Paulatimq; Deos, nudo quos enſe tuetur

In dubium reuocat: cur non de munere vitæ
Hanc tollant? magicis adſcribit mira ſacerdos
Artibus, his addit Priſcus, cur numina Diuum
Ferre magos poſſunt, merita qui morte piandi
Ob ſcelus admiſſum? non ſunt æquanda Deorum
Pectora concretis animis pietate renident
Quippe dolis inſtructus ait, nec iuſta videntur
Dicta, quibus Priſcus patientes præbeat aures:
Dumq́; animi pendet, mactet parcatuè puellæ,
Ne ſibi lucroſum claudatur limen, & ara,
Impius exacuit ſpeculatus Apellius artem,
Qua trahat ancipites Priſci de pectore curas:
Ire ad Ditis opem, conſuetaq́; quærere fallax
Cogitat auxilia, & mortis ſubiungere cauſas.
Eſt ſpecus horrendũ viſu, quod vergit ad auſtrũ,
Deſuper horreſcunt ſumma ad faſtigia vepres,
Rupibus hinc vaſtis, hinc nigro clauditur amne:
Igne calent latices circum Phlegetontis, & aſtra
Fumus obit, ſolemq́; ſua regione relegat:
Nota quidem colubris, hoĩum domus inuia plantis:
Inferiora locos ſuperare hinc numina dicunt
Aerios, cum bella volunt aſperrima genti
Traddere, & horrificis animos terrere figuris:
Artibus huc magicis huc atq́; potentibus herbis

Martis ijt cuſtos aræ, templiq́; ſacerdos:
Ingreßus ſimulachra videt, quæ voce laceſſit
Supplice, tum dictis vmbras affatur hiantes.
Dijq́; Deæq́; omnes per quos commißa luuntur
Crimina, relligio Diuum ſua iura tuetur:
Annua reddidimus nuper ſacra debita Marti
Conſenſu populi magno, tamen impia Virgo
Sola negat: quàm mente ferox quàm pectore fortis:
Torquendam pœnis dedimus, tormenta ſuperſtes
Reſpuit: hoc adeo de capta Virgine Præſes
Ambigit, & tepidis curis pia numina ſeruat:
Hæc ergo impunis ſi ſic dimittitur, omnes
Thura negent aris, & Diuum numen oportet
Corruat: inuitam deſpecto ſubdite ferro;
Occidat, & Priſci nutantem in Virgine mentem
Erigite: hanc operam poſcenti, hunc quæſo laborem
Cedite: nec vobis artes, nec mille nocendi
Compoſiti latuere modi, ni ſancta velitis
Numina deleri, & populi reuerentis honores.
Hæc ait: & nigris vox eſt audita tenebris:
Vnus in acceßum qui tendis limen Apelli,
Et noſtram contendis opem, quò templa Deorum
Relligione diu populis florentia ſerues,
Sollicitas iam pelle tuo de pectore curas:

Quod

Quod petis hinc citius dabitur, quàm tēpla remigres
Auxilium fœmella graues vbi mille labores
Pertulerit, iam victa neci ſuccumbet, & iſta
Arte colet Priſcus Diuum reuerentius aras:
Neuè nouum credas, iam pridem iuuimus vltro,
Sedibus hanc fuſcis etenim, tenebriſq; latentem
Pandimus, & Priſci iuſtæ conceſſimus iræ.
Dum repetit notas ædes, templumq; ſacerdos
Munera ſortiti Manes, ſua quiſq;, repente
Incubuere locis iam Chalcedonis, & Vrbi:
Informant alij Martis ſimulachra: ſecretam
Cortinam ſubeunt alij, quæ numine Phœbi
Clara patet, ventura docens, ſi Priſcus ad illam
In dubijs reſponſa petat, tunc Virginis atram
Conſulat hæc mortem: quidam terrentia (prauæ
Nec deſunt artes) ſumpſerunt ora luporum:
Aerios quidam tractus, imbreſq; ciendi
Munus agunt: iterum de Virgine Apellius audax
Verba facit, Priſciq; dolis dubitantia tentat
Corda: animi curas nunc huc, nunc flectitur illuc:
Non ſecus ac nigra cum tempeſtate cupreſſus
Aduerſis quatitur ventis; ramiſq; comiſq;,
Nunc auſtrum ſequitur borea ſuperante, procacem
Nunc boream vincente noto: potiorq; videtur

Ambiguæ mentis ratio, de carcere ducat,
Indemnemq́; ſuis, reducemq́; parentibus, atræ
Quàm morti tradat: dum talia corde volutat
Is ſecum tacito, curisq́; his vertitur anceps;
Concitus ecce ruit ventoſo turbine nimbus,
Aſtra tegit, ſolemq́; fugat, remicantia flammis
Fulgura perterrent homines, tum culmina Priſci
Jmmenſum dant icta ſonum, mittuntq́; fragorem:
Iamq́; poli terræq́; ſimul miſcentur: in Vrbem
Commotam ſubeunt vlulantia monſtra luporum:
Mœnia colluſtrant Vrbis, dehinc limina circum
Alta fremunt Priſci, veluti minitantia mortem:
Hinc pariter delubra petunt, ingreſſaq́; mirum
Corpora proſternunt Diui ſub imagine Martis.
Illicet hic homines ad Martia numina currunt,
Supplicibusq́; rogant precibus portenta, minasq́;
Arceat: auerſus votis ille ora tenebat,
Et vultu populis pœnas protendit, & iras:
At Priſcus tandem diuina oracula Phoebi
Conſuluit, quid, monſtra petant, quæ cauſa malorũ:
Jlle ſuos tripodas aperuit conſultus, & inde
Hæc Priſco reſponſa dedit, cauſasq́; recludit:
Non prius à vobis terror commotus abibit;
Quin etiam grauiora manent, maiora ſequentur,

Quàm

Quàm Diui Martis faciem placetis, & aras:
Læſit Virgo Dei numen, ſed Virgine cæſa
Sanguinis effuſi pretium commiſſa piabit:
Quæ ſit Virgo, petunt, Vates quam poſcat Apollo:
Quæuè Deum grauiter numen quæ læſerit, artis
Conſcius ille, locum nactus, tempusq́; nocendi
Interpres Diuum: nimirum Euphemia Phœbi
Reſponſis petitur, quæ Martia ſacra repellit.
Aſſenſere omnes, nugisq́; his deniq́; Priſcus
Credidit, accitam velut hæc ſit cauſa malorum,
Iam pœnis vrgere parat, puriſſima multis
Loris membra iubet cædi, mediamq́; ſecari
Ignibus exuri carnes, ſimul oſſa reſolui
In tenues cineres, ſcuticis, animoq́; parati
Tortores, nudos contundunt Virginis artus,
Alternante manu: pectus, dorſumq́; colorant
Sanguine purpureo, manet illa immota flagellis,
Non aliter plagis quam dura adamantina cautes
Quam fruſtra nixu duplici conſcindere fabri
Contendunt, fugit illa tamen conſtantior ictus
Alternos, tandem hi feſſi ſua brachia laxant:
Admouitq́; dehinc lateri manus impia ferram,
Diuidat vt medios humeros, flammisq́; cremandos
Iniiciat: quis non ſpecie (vel ſaxea geſtet

Pectora) non ſtupeat? iam ferri obtunditur omnis
Dura acies, vdos per campos ſpargitur ignis:
Ipſa tot eximijs Virgo ſeruata periclis,
Erectis Chriſto reddebat munera palmis
Grata, ſed inuiſi tabeſcunt corda tyranni:
Ingeminant tormenta tamen, datur illa leonum
Morſibus, obliti ſolitæ feritatis, adorant
Virgineum numen, laceratáq; pectora lambunt:
Excipiunt blandè, nec non ceruice ſubacta
Pro ſolio ſanctis membris fera tergora præſtant:
Et licet ex illis captaſſet brachia morſu
Sæua leæna, tamen dentes, nec vulnera ſenſit
Horrida, ſed vegetos ſeruarunt ora lacertos:
Vidit, & expauit Priſcus, tacitusq; volutat
Rem ſecum curis, tum verba ſilentia ſoluit,
Atq; ait: ingenij vires per ſingula verti
Supplicia, his demum conſtanti pectore victis,
Succeſſere preces: clauſit ſua viſcera cunctis
Pollicitis, vna ſunt fractæ Virgine vires:
Quid funes, quid flamma mihi, quid ſtructa rotarũ
Machina dira, leo, lapides, quid ferrea cuſpis
Profuit? incolumis cunctis erecta periclis
Viuit; & inde meis inſultat viribus vltro:
Prò dolor: & quiſquam Priſcum reuerebitur olim

Ex populis? Martiq́ Deo præſtabit honores?
Sæuiat ante mihi deſpecto Cæſaris ira,
Vel latus incautum tranſuerberet impius enſis,
Quàm Virgo hæc hodie pœnis mittatur inulta:
Brachia colla pedes vincite, fer arma ſatelles;
Dentibus infrendens inquit, nunc vltima ferro
Experiar, grauibusq́ malis mea corda leuabo:
Pectus in inuiſum peracutum figite telum,
Vt quæ tot rerum ſoſpes diſcrimina vicit,
Nunc vno imbellis lethali corruat ictu;
Frigida & excuſſus demittat ſpiritus oſſa.
Quæ poſtquam Virgo vidit, quàm dira parentum
Vulnera pectoribus, prorſus memor aurea cœlo
Præmia quæ dantur pro Chriſto funera paſſis:
Suſtulit his dictis ad fulgida ſidera vultum.
Chriſte meæ vires, animæ mentisq́ leuamen
Flebile qui vulnus traiecto pectore geſtas,
Vt genus humanum reuocares paſſus ab Orco,
Caſibus innumeris miſerans mea membra potenti
Seruaſti virtute, precor nunc ſupplice voto,
Da mihi poſſe mori, lateri da vulnera figi,
Vt capiti tanto iungatur debile membrum,
Aeternisq́ bonis per ſæcula cuncta fruatur.
Non caruere preces feruenti corde petitis,

Nam ſimul ac acies tetigit pia pectora ferri,
Labitur in gelidas victrix Euphemia terras,
Et pugnæ, vitæq́; ſimul dat vulnere finem.
Hoc inſigne nefas cum lumina vecta quadrigis
Luſtrare è ſuperis pudeat, ſe nubibus abdunt:
Tactaq́; de cœlo ceciderunt culmina turris
Aeriæ, tellus tremuit, ſatis aſtra tulerunt
Grãdinis, igniuomus glomerat vapor omnia: cuncti
Confuſam cœli ſpeciem, mortisq́; minacem
Diffugiunt, trepidantq́; metu, tum luſtra requirũt
Certatim; perijt lictorum turba nocentum
Plurima: tartarea Priſcus ſtimulatus Erymni
Se ſe diſcerpit, mittens cum ſanguine vitam
Cocyti ad ripas: hanc tu comitaris Apelli
Cauſa mali tanti, morſu lacerate ferino:
Hic modo ſupplicio immani torqueris, & igne,
Perpetuamq́; habitas poſt peſſima funera noctem:
Inſontes nunc enſe petas, nunc Martis honores
Amplifices, fraudesq́; ſeras & crimina belli.
Saucia Virgo tamen de vulnere, dicitur ante
Quàm leuis à roſeo migraſſet ſpiritus ore,
Multa rogaſſe Deum, quæ ſunt conceſſa petenti:
Vt morbo affecti, vitaq́; extrema ferentes:
Auxilium quicunq́; vocent, ſibi dona reportent

Lætan-

Lætantes: partum patiens quoq; fœmina fœtum
Mittat, & accepta lætetur prole ſuperſtes:
Præterea petiiſſe ferunt, ne tela, nec ignes,
Flumina, non imbres miſſi, denteſuè ferarum
Offendant quemquam; ſed ſint hæc tuta fideli:
Præcipuè ſegetes nimiùm nimiùmq; cupitas
Praua lues fugeret, ſed frugibus horrea lætis
Affluerent, ſacriſq; Dei pia munera reddant
Agricolæ templis, obliti frigus, & æſtum.
Credimus in terris gelidis ſimul atq; reliquit
Corporis exuuias, animam ſuper æthera pennis
Præpetibus migraſſe, velut petit ardua montis
Pulchræ ales Veneris quondam, nidumq; reuiſit
Aerium; incolumis curuo fallacis ab arcu
Aucupis, hic auget Diuos defuncta periclis,
Virgineis coniuncta choris, fruiturq; beatis
Muneribus: non ignis ibi, non mortis acerbæ
Formido, ceſſant hominum tormenta, minæq;:
His delata locis, duplici ſuffulta triumpho
Incedit: fortis terris quia conſcidit hoſtem,
Sacra gerit manibus ſperatæ præmia pugnæ,
Immortale decus: niueis ſed pulchra corollis
Tempora præfulgent, domuit quia carnis iniquas
Illecebras: ſuperum tandem iuuat ampla tueri

Atria ſtellantis cœli, quæ laude perenni
Icta ſonant, tenebraſq; ſuis de ſedibus arcent:
Hic fouet amplexu ſocios, atq; oſcula figit
Quos eadem cœlo terris ſubtraxit ab imis
Cauſa: beat ſplendor diuini luminis, in quem
Angelici ſpectant vultus, gaudentq; tuendo.
Virginis, & Priſci (vitæ probat exitus omnes)
Diſcite quæſo vices: quod veſtra interſit: vterq;
Extremum clauſere diem, petit altera ſedes
Aethereas, ſtygijs alter demergitur vndis:
Perpetuo hic patitur ſacrum miſerabilis ignem
Et ſimul horreſcit furiarum vultibus: illa
Lumine Diuorum remicans gratiſſima carpit
Ocia: torquetur Priſcus cum pectore voluit
Inq; Deum inq; homines exacta crimina vitæ:
Sed ſeruaſſe Dei præcepta, Euphemia, nec non
Membra dediſſe feris hominum cædenda lacertis,
Cum repetit, plaudit; vertitq; in gaudia luctum,
Inq; decus probrum, vel in ocia tuta laborem:
Quæq; erat in terris humilis, nunc maxima cœlo eſt,
Et numen populis votis precibuſq; vocatur.
Quòd iuſtis hominum mitiſſima Diua petitis
Annuat, & fuſis concedat vocibus aures,
Iam patriæ dicant ſedes, Rhodopemq; colentes

Finitimam referant, ò ſi primordia ſancta
Seruaſſent fidei, quæ Virgo Euphemia nouit;
Barbarus hæc nunquam ſubijſſet littora Princeps:
Nunc miſerè lugent acri ditione ſubacti:
Hoc ſortita decus Patauí ditiſsima tellus
Concinat auxilium, modulis melioribus, illi
Quod Virgo hæc tribuit precibus quæſita uel vltro:
Dicite vos etiam colitis qui culmina Montis
Piloſi, cunctos hic vos, quibus altera ceſsit
Brachia conteſtor: quæ vobis dona? quot annis
Siderea de ſede pluit? quàm congrua mittit?
Corpora vel morbus, ſegetes vel peſsima tentet
Frangere tempeſtas? tanti ſed luminis addam
Cum magis expediet, ratio modò temporis vrget,
Vt referam paucis, vnde has Orientis ab oris
Relliquias Mons iſte tenet, quibus aureus omnes
Eminet, & primas adeo ditiſsimus ambit.
Poſtquam expleta ſitis cõfoſſa in Virgine Priſci,
Et iacuit terris ſanctum ſine ſanguine corpus,
Sublatum tumulo tenera pietate parentes
Affecere, genis lachrymis perfuſus vterq;:
Conditus hic tandem læto theſaurus in agro,
Qua populos Aſiæ ditarit merce libelli
Non ſatis exponunt: nec ſi vetus iſta recenſet

Pagina, geſtarum ratio ſat cognita rerum.
Corpus in his igitur patrijs habitauit in vlnis
Tantiſper, donec miſeras penetrauit in oras
Miles ab Eoo, & late ſibi regna ſubegit:
Hinc datur Illiricis: Pataui dehinc fertur in Vrbẽ
Hoc decus eximium: captant pia gaudia fines
Italiæ, quam ſumma Dei cœleſtibus auxit
Gratia muneribus: tandem labentibus annis
Auſoniæ corpus varias partitur in Vrbes:
Relliquias primò ſeruant pia tecta ſacelli,
Conſtantinus vbi maculas baptiſmate terſit
Corporis, ac animæ: nos altera brachia: prorſus
Cætera clara fouent Patauinæ mœnia gentis:
Quo rapit immemorẽ verſus me? quò feror amens?
Tu quoq; præcipuam partem complecteris almo
In gremio Melite, nec finibus inuida noſtris:
Num cum dira lues, vel cum vis maxima belli
Ingruit, aduerſis rebus tibi defuit vnquam?
Dulces ede ſonos ideo, da pectore cantus:
Dum tantis lætare bonis, veſtigia vertam
Ad Pataui ſedes, & verſibus abdita pandam.
Ciuis erat nobis, quo non præſtantior alter
Nec pietate pari, meritis nec ſanctior æquis
Flamen, at inſignis Robertus nomine dictus:

Hic Italos fines, varias luſtrauit & Vrbes,
Viſendi ſtudio, patrijs de ſedibus vltro
Pertulit exilium: longè pulcherrima tandem
Mœnia dilexit Patauì, moresq; ſitumq;:
Hac igitur celſa longas cum lætus in Vrbe
Duceret ille moras, merito conſpectus honore,
Præficitur templo; quod Diuæ corpus habebat.
(Sic noſtri docuere ſenes, quis credere fas eſt)
Munus obit; rerumq; habiles ſibi ducit habenas:
Conſpicui bonitate viri, curaq; fideli
Nil maius reperire queas, meliuſuè: frequentes
Cum populos templum, ſacrumq; ſubire ſacellum
Cerneret aſſiduè; precioſaq; munera valuis
Figere pro votis; eſt tanto incenſus amore
Virginis, vt nulli fuerit pietate ſecundus:
Hanc ſibi Patronam ſtatuit, fideiq; ſalutem
Tradidit, hanc orat ſupplex; hanc ſolus, & anceps
Conſulit, expoſitis num verbis ille repulſam
Quandoq; accepit? vacuum num munere votum
Oranti redijt? longisq; appulſus in oris
Non eſt oblitus fines, vbi natus, & vnde
Extulit ille pedes, cum primum factus adultus,
Præcipuè ſcibat nullo commiſſa Patrono
Mœnia, tutela Diuum ſed nuda manere:

Pectore dat gemitus, tacitoq; hæc corde putabat:
Si patrios fines, Montis ſi templa viderem
His munita bonis, Pataui quæ pergama ſeruant,
Fœlices animæ, fœlicia culmina, fœlix
Eſſet ager: ſecum voluens has pectore curas,
Audet in extremis templo proſtratus in vdo
Compellare Deam noctu, cui talibus infit.

Quæ regio non plena tuis celeberrima Virgo
Muneribus? quas non ſanctum penetrauit in oras
Nomen? in auratis per te caput extulit Hebrus
Vorticibus: celeber gaudet per ſæcula pontus
Illiricus: tumidiſq; Padus ſe iactat in vndis:
Teq; fretum nouit libycum, templumq; ſacrauit:
Nec donis caruit curſu Tyberinus ameno:
Naiades hoc tantum Bradani priuantur honore
Fluminis exigui, hic ſumma ad faſtigia ſurgit
Mons patrius. Græcis πλούσιος *cognomine dictus,*
Diues agris quoniam lætatur, & vbere gleba;
Piloſum dicunt corrupta voce latini:
O mihi ſi liceat notos inferre penates
Theſauri monumenta tui, quæ gaudia muri
Aecij caperent? corpus contingere palmis
Non auſim: nam iura vetant, deterret honeſtum:
Tu varijs dignata locis, ſuccurre petitis

Virgo meis, detur ſaltem ceruicis amictus,
Fibula, vel pallæ, vel ſutilis inſtita limbi
Latus vt exornem delecti cornua Montis,
Et tibi ſit ſedis patriæ tutela perennis.
Scandere nec pigeat Virgo ſuper ardua Montis
Culmina, dilexit Chriſtus ſuper æquora Montes:
Jn monte imprimis humano eſt lumine viſus
Qualis in excelſis: Domini feſtigia montis
Spectauere manus augentes numine fruges:
Jn monte is moritur, de monte ad ſidera cæli
Scandit, & in ſacris mons pinguis dicitur ipſe.
Dixerat, at Virgo ſolijs delapſa ſupremis
Affuit, hic alacris templumq; ingreſſa precantem
Solatur dictis, & dignis rebus adauget.
Iam gemitus Roberte tui, tua miſſa frequenter
Vox ijt immenſæ Patris pietatis ad aures:
Pone modum verbis, patiens compeſce querelas;
Huc tibi dona fero cæleſtis nuncia Regis;
Ne dum velamen, noſtri dat brachia tergi,
Magnarum largitor opum: ſeiunctaq; trunco
Obtulit, & monitis extremis pectora firmat.
En tibi ſume tuæ meritos pietatis honores,
Defer in excelſum patrium data pignora Montem:
Nec montes fugio, ſummi quæ ſidera montis

Læta

Læta colo: mons iſte meo ſit ſemper in ære;
Iam nunc præcipuis curis commiſſa tuebor
Iura (Deo placitum) conceſſo in robore Ciues
Nigrantem vincent hyemem, campiſq; minantem
Grandinis impulſus: montiſq; a vertice morbos
Expellent, motuſq; malos & noxia tollent.
Ex templo lætus nauem conſcende paratam,
Munus & acceptum montanis ſedibus infer:
Nec prius vndiferi remis maris appula tanges
Littora, quàm tumidas auſtris patiere procellas,
Tu tamen horrificis oppone hæc fluctibus audens
Brachia, nec metuas ratibus ſocijſq; receptis
Ibis, & optati ſuperabis mœnia Montis.
Hæc ait, & nubi ſimilis ſuper aſtra petiuit,
Numinibuſq; ſuum numem conſortibus addit:
Ille tamen ſolus cœleſti afflatus honore
Reſiſtit, & celeres oculos per ſingula voluit:
Sed nequit expleri, tanto taliq; potitus
Lumine, Virgineum numen tum cernuus ipſe
Alloquitur tandem, & grates de munere reddit
Humanæ vt poſſunt vires. Tu Diua petitus
Largiris maiora meis, quàm certa cupido
Explicuit, non æqua tuis ſunt munera donis
Terrea, quid gratus referam? quæ dona repẽdam?

Bra-

Brachia largiris digniſsima pignora palmis
Secta tuis, animam pro tanto munere contra
Accipe læta meam: tenuis nec tradere poſsum
Hanc præter quicquam: doni memor eſto recepti,
Et tua ſeruabo mecum monumenta viciſsim.
Hinc roſeos curru properat Thitonia coniux
Nuncia Phœbææ lucis, perfundere crines
Fluctibus Oceani, donis prius oſcula figens,
Corripit; & trepido contendit littore curſu:
Continuò ſoluit, ventis curſúq; ſecundo
Congaudens, puppiq; ſedens, canit æquore Nauta;
Ignarus pretium quantum ferat ipſe per altum:
Iamq; diu puppis ſtratis proceſſerat vndis,
Lictoraq; affectant flatu quæ torret Iapyx:
Cùm Deus, vt videant homines per cærula vecti
Lumina tecta, ferit ſuperis labentia diro
Velanoto. Exoritur tempeſtas atra, tumeſcit
Paulatim pelagus, cœptum diuertit euntis
Nauis iter, motus boreali turbine fluctus:
Pulſa rates nunc ima petit, nunc ſidera tangit
Fluctibus aduerſis, miſeram certamq; minantur
Omnibus iſta necem: Diuæ cum numen adorat
Robertus; vitamq; ſibi ſociiſq; precatur:

In fluctus, ventis nimium nimiumq́; furentes:
Quattuor ille plagas orbis ſignauit, & vnde
Extulerat rurſus reuerenter lumina condit:
Haud mora fit, venti citius (mirabile dictu)
Conſidunt, tenues nubes ſe ſcindit in auras,
Seq́; poli facies aperit, Phœbumq́; reducit
Crinibus auratis: iterum tenet æquor arandum
Puppis, & incœptum direxit ſedula curſum:
Amiſſas vires reuocant, frontemq́; ſerenant
Extemplo ſocij: cœlo pelagoq́; potentem
Voce vocant Patrem cui vitam in fluctibus atris
Acceptam referunt, meritis & numine tantæ
Virginis, immenſis omnes quam laudibus ornant,
Et pietate ſimul. Bari Deus appulit oris:
Iam longum tandem ſubeunt telluris amatæ
Littus, & in templis hic vota oblata rependunt.
Mõtis ad hæc noſtri cùm venit, pergama donum
Expoſuit, quo ſole magis ſpectabile noſtrum
Hoc fulget templum, fulgent dignata ſuperbi
Cornua Montis, eò gaudens conuenit vterq́;
Viſendi ſtudio ſexus, Diuæq́; precandi
Numina: quæq́; fores crebriſq́; altaria tædis
Elucent: thuriſq́; petit vapor ater ad auras:
Vndiq́; funduntur laudes feſtiq́; diei

Sacra colunt, quatiuntq́; poli conuexa frequentes
Voce chori: aurato demum velamine tectum,
Sedibus in ſacris inter penetralia condunt.
Ardua Pyramidum iactet ſpectacula Nilus,
Fuluoq́; Heſperides tueantur poma metallo,
Nos decus è cœlo lapſum teneamus ouantes
Contenti hoc vno; mundi precioſa faceſſant,
Quandoquidem proſtratur opus quodcunq́;, voraci
Gutture tempus edit, cecidit ſtructura ſuperbæ
Mēphis, & Heſperidū fructus, quos fabula narrat,
Nil retinent prorſus lapſi, ſibi præter inane
Nomen, at hic ſacra qui fulget in æde Pyropus,
Perpetuò populum donis potioribus auget:
Nec feret à nobis æui longinqua vetuſtas,
Munus adhuc extat, pariter nunc oſsibus hæret
Vera cutis, (mirum) neruos eſt cernere, & vngues
Sæcula multa licet nobis numerentur ab illo
Tempore, cum Virgo deſerto corpore terris
Contendit cœlum, manet hoc per ſæcla nepotum
Progeniem; hoc illis vigiles ſeruamus, & illi
Naſcenti populo, donec deſcendet ab aſtris

Aſtra poli : Roberte tibi ſpectabile donum
Acceptum ferimus : nobis hoc gratius unum
Quàm ſi inuexiſſes grauidas de littore conchas
Oceani gemmis, grandiáq; vel ære columnas
Arte laboratas : quamuis nec talia deſint
Dona, Viri imprimis equidem feruentia miror
Pectora, non auri cupidus cumulauit aceruum
Ipſe ſibi, valde patriam ſed iunxit amando
Munera muneribus. Diuæ tulit ille figuram
Andreæ pictam digitis præſtantis, & arte;
Cui Mantegna datur meriti cognomen honoris :
Hæc clamyde induitur phrygia, quam fibula nectit
Aurea, cæruleo circundat paſſa colore:
Inſuper immiti pectus transfigitur enſe,
Fulua leæna præmit rapido pia brachia morſu
Dextera, ſed digitis fœlicis præmia pugnæ
Suſtinet, & læua florentia lilia matri
Aemula naturæ: pulchra datur inde corona
Aurea ceruici, quam circum plurima pendent
Mala, ſuis aptata locis, quæ fronde teguntur :
Clauditur hæc foribus celebris pictura, ſed intus
Nobile martyrium tabulæ per ſingula pandunt
Cum reſeratur opus. Morientis in arbore Chriſti
Expreſſa ad viuum populo ſpectatur imago,

Corda

Corda hominum pietate ciens, quam vexit ab oris
Præclaris Venetum, nunc tecto fixa ſub alto
Reſpicit occaſum, ſed plantis ardua tangit
Virginis, & laxis templum complectitur vlnis:
Marmoreas etiam terris, pelagoq; ferendas
Effigies curauit; opus quod nobile vincit
Phidiacum ingenium, nec non mirabilis artem
Luſippi: referunt viuos in marmore vultus:
Vna Dei matris, ſed Virginis altera formam
Indicat, ipſe rudi quam effingere carmine conor:
Has domus egregiè ſeruat, curatq; Magiſtra
Eſtq; patronatus hoc quondam iure ſacellum
A gelida (vt cuncti noctis) regione locatum.
Inq; recenſitis donis numeratur imago
Extintæ Matris Domini, iacet illa ſepulti
Corporis in morem, cedro deducta virenti:
Hæc tegitur totum glauco per corpus amictu,
Plantis nuda ſuis, obitu ſed pallida vultu:
Hoc adytum templi fuluo pretioſius auro
Munus habet, cum læta dies ſextilis adiuit

Sturthio quæ gignit decorauit grandibus ouis,
De trabis aurata facie pendentibus aras:
Prouidus hic fontem nobis de littore vexit
Barbarico, formaq; rudi veſtiuit in æde
Nunc iacet: heu nimium tædet meminiſſe pigetq;
Extremam quod nemo manũ (cur ſpernitur?) illi
Imponat, cœptumq; ſuum perducat ad actum.
Tres tulit & libros, auro minioq; nitentes,
Conſulat vt cunctis templi ſatis vndiq; rebus:
Luctiferis vno celebrantur iuſta ſepultis:
Cantantur Mariæ præconia digna ſecundo:
Tertius exoluit laudes reuerentius illi
Quam ſcribo, & cunctos templi penetralia ſeruant.
Roberto à nobis debetur gratia maior,
Quàm queat ingenium noſtrũ meminiſſe, ſed heu me
Cur iuga non licuit ſuperare Heliconis, & vndis
Pyeridum ſedare ſitim? iam laudibus illum
Efferrem, nomenq; ſuum ſuper aſtra locarem:
Sed ſatis hunc laudant celeberrima facta, probantq;
Quid? nõne hæc noſtri templi monumenta per æuum
Conſerant hominem? ſacris rogo ſpargite lymphis
Oſſa, ſimul precibus cœleſtem flectite Patrem,
Vt ſibi (ſed ſuperum credo ſpatiatur in aula)
Si labes hæſit vitæ, miſeratus ad aſtra

Pro-

Protrahat, ac animis tandem cæleſtibus æquet.
Sed memor ad Diuæ refero me brachia, paucis
Verſibus amplecti poterit quis? multa ſilenti
Prætereo ſermone, Viri vos cætera mentis
Explorate acie, faciam tum deniq; finem:
Pauca prius ſi dona feram, munimine quorum
Viuimus, & tegimur: populis loquor ipſe futuris,
Hæc eadem mecum quoniam vos omnia noſtis.
Virgo laborantes hæc ſuſcitat, atq; furentem
Componit populum: diuino numine fulcit
Nutantes animas: turbam ſolatur egenam:
Præterea obſcurum non eſt parientibus illam
Auxilium tribuiſſe ſuum, ſimul atq; lacerti
Velamen tetigit lumbos parientis, ab aluo
Emittit fœtum, ſaluoq; hæc pignore gaudet.
Creſcentes ſegetes quondam cum nigra minatur
Tempeſtas, illum ſacris penetralibus effert
Concio ſacra, poli quo tractum ſignat opertum
Nubibus, inq; plagas alias fugit impia cœli
Confeſtim labes: at ſaluis frugibus ipſi

Vbera ſeruarunt auidis frumenta Colonis.
Quod Virgo hæc valeat cœli ſuper æthera, cuius
Relliquias homines terris venerantur, abundè
Perſpicuum: ſed friget opus, deuotio torpet:
Nec quanti valeat radijs hæc gemma coruſcis
Explorat quiſquam: prorſus nos arguit ingens
Maiorum pietas: ſæcli monumenta vetuſti
Erudiunt: quotus templo ſua quiſq; reponit
Vota almæ pietatis? eunt num ſacra frequentes
Limina? & acceptis reſpondent pectora donis?
Vos, quibus omnipotens cœli penetralia rerum
Noſſe dedit, tantumq; pius conceſſit ab aſtris
Doctrinæ, quantum nobis non priſca tulerunt
Sæcula: ſal terræ Domino lumenq; vocati,
Labentes fulcite animas, populosq; docete,
Poſſe minus ſemper nobis res ire ſecundas,
Sed vim ſæpe Deum meritis ſuſpendere Diuum,
Vulgus vt indignum dignas det crimine pœnas:
Vndiq; thuricremis luceſcant ignibus aræ,
Tectaq; iam feſta decorentur fronde ſacelli,
Sed magis orantis precibus votisq; caleſcant,
Sic Dea, quam colimus, claris nos proteget aſtris:
Iugiter & clemens rebus ſuccurret egenis.
Nunc te Diua meis Euphemia dicta camœnis,

Com-

Compellare libet; tu iuſtis alma petitis
Annue, & extremum, poſco, da verſibus aures:
Quòd delata tui ſit ſancti Corporis ad nos
Pars ea, quam cecini, æterni ſine numine Regis
Haud venit: cæleſte iubet, pulcherrima Virgo
Conſilium, vt noſtri Montis tueare ſalutem:
Hunc mala (ſed more hoſtili) duriſsima vallo
Inſidijsq; premunt: tu robora tuta fidelis
Intende, & coſtans horrentia tela cohortis
Diſiice: non armis noſtris, nec mœnibus ipſi
Aggere munitis, tandem non viribus vllis
Nitimur: auxilium de te ſperamus, opemq;
Expetimus: tu Diua doce certamen, & artem,
Vincendi, quæ ſola teris tormenta rotarum,
Fornacis, laquei, ſerræ, lapidumq;, leonumq;,
Immitis pariter baculi, puteiq;, profundi,
Deniq; lethalis plagæ, quæ certa ſalutis
Cauſa fuit: tecum vero cum comparo ſortes,
Nos eadem tormenta premunt, diſcrimine tantum
Differimus, nam tela tui mala Corporis artus

Ignibus abſimilis, laquei ſunt dæmonis artes,
Quæ greßus animi nectunt: nec carmina fallunt
Ancipites cordis ſi ſerras dixero curas,
Quæ lacerant inopem lethali vulnere mentem:
Duritiam referunt lapides, aciemq́; leones
Terrifici Ditis, noctuq́; diuq́; rudentem:
Verberat vt baculus culpæ meminiße ſupremum
In Dominum: Puteus ripas Acherontis & vndas
Obijcit: incautum turpis cor noxa penetrat,
Non ſecus ac vulnus, quod nos de munere vitæ
Subtrahit: & pœnis animam crudelibus angit.
Tuq́; rogata malis profer medicamina Virgo,
Si cupis incolumes tecum fieriq́; beatos:
Rebus in aduerſis firma, iuſtumq́; ſecundis
Pone modum: nocuos autem cœleſtibus ignes
Imbribus extingue: implexos diſſolue rudentes:
Tundeq́; ſerratos cœleſti numine dentes:
Euerte hinc moles: diros conſtringe leones:
Verbera ne noceant cura: ſtygiaq́; paludis
Oſtia claude precor: clemens medicare vetuſtis
Vulneribus; quæ cladem animis mortēq́; minantur:
Vt mole hac terris tandem ſpolijsq́; relictis
Corporis, æthereum læti veniamus ad axem.

Finis Vitæ Diuæ Euphemiæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
100
100 200